



Mu 40

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.



16

De Bibliotheca
manuali litterarum studiosis insti-
tuenda.

Ut Examen scholae ref. Cothen. 1799. d. 11.
Mart. h. 9. antem. habendum indicaret,
scripsit.

C. F. R. Vetterlein, Rector.

Cothenis.

14



D E B I B L I O T H E C A

manus litterarum studiosis insti-

tuenda

Orationem

de variis gaudiorum humanorum generibus ha-
bebit Carol. Aug. Vierthaler, Cotheniensis.

in hanc orationem in Cothob. 1709. d. 11.

scripsit h. q. scriptor habentium indicem

scripsit

C. F. R. Vetterlein, Rector

Cothobis



Bibliothecarum duo genera sunt, alterum publicum, alterum privatum; & publicae quidem sunt, quae publicis usibus inserviunt; a quarum enim aditu homines claustris & repagulis arcentur, murium & tinearum cibus, eae corpora mortua & librorum sepulcra potius nominandae sunt, quam bibliothecae. Sed publicae sunt multivariae, ut bibliothecae academicae et scholasticae, item opibus regum et principum instructae, bibliothecae quoque antiquariorum, qui libros tritos nummis in vulgus dant legendos; bibliothecae denique sociales, ab amicis litterarum constitutae, collataque pecunia paratae, quae & ipsae multis solent rationibus comparari & regi, quarum vero optima est bibliothecae *stabilis* sive perpetuae, qualem cives habent Mancunii & Cothenarum. — Bibliothecae vero privatae sunt singulorum, & singulorum inserviunt vel studio vel otio, opibusque parantur privatis.

Tales apud omnes fere viros doctos invenias, nec facile inter eos reperias, quin magnopere librorum apparatu delectetur; & sane artium scientiarumque studio deditus, a musarumque commercio non prorsus abhorrens, scriptorum bonorum suppellectili omnino carere videtur non

X

posse.

posse. Neque enim audiendus est Ruffovius, qui homini litteras lectionemque librorum amanti non censet convenire, ut libros sibi colligat & bibliothecam instruat; iis enim, qui semel colligere libros coepissent, nil unquam librorum satis esse, & plus taedium creari per eos, quibus careant, quam per eos, quos habeant, gaudii. *) Verum hoc admonere nos debet, ut in libris comparandis servemus modum; ut vero acquiramus nonnullos, non deterrere. — Sed bibliothecarum privatarum aliae aliis consiliis & rationibus colligi solent; discrepant vero ipsa magnitudine et numero librorum, ita ut aliae sint majores uberioresque, & quaecumque includant volumina, quae a dominis conquiri et coacervari consilio vel casu potuerunt; aliae vero selectiores, optimos tantum in quaque arte et scientia libros complectantur, quas *contractas*, sive *compensatorias*, sive *manuales* vocare solent. — Et hoc quidem genus est, quod nunc studiosis litterarum, imprimis vero adolescentibus, curricula liberalium studiorum ingressis, commendare decrevimus. Equidem industriam hominum doctorum, ditiorum praesertim, in coemenda largiori librorum suppellectili & majore adornanda bibliotheca, non censeo improbandam; immo multis modis laudabilis esse potest talis bonorum scriptorum amor; sed hoc volumus, ut *et ii*, qui numerosiorem jam possident collectionem, largioremque librorum omnis generis copiam, feligant

*) v. Emile,

compendiosam quandam, quæ sibi ad manus sit, & infinitum illum doctrinæ campum in spatium contrehant angustius, quod facilius possint colere & perlustrare; *et ii*, qui incipiunt libris dare operam, selectiorem statim & exquisitiorem bibl. sibi comparent, quæ omnibus suis partibus digna videatur, ut intentiore cura tractetur, legatur & relegatur. Nam ut facile dederim, largiore librorum copia iis opus esse, qui vel libros erudite scribere, vel res in historiis abstrusiores volunt indagare & illustrare; ita persuasum habeo, ad alendum artibus ingenium, ad excitandam iudicii vim, ad acuendum pulcri sensum, ad formandum stylum, denique ad præparandum rebus gerendis animum, multo satius esse & melius, paucis iisque bene delectis se tradere auctoribus, quam per infinitos vagare scriptores, quorum alter alterius non confirmat, sed destruit institutionem. Etenim qui auctorum turba onerantur, discunt illi quidem, quod alii noverunt & dixerunt, ipsi vero quod suum esset nec unquam ingenio inveniunt, nec scite apteque eloquuntur. Certis iisque selectis scriptoribus, tamquam amicis, immorari debet juvenis, si illorum quasi animum in se vult transfundere & ad rectam conformari illorum sentiendi cogitandique rationem. Ipsa quoque memoriæ vis nimia variorum librorum multitudine obruitur; nec nisi quibus animus quasi innutritus fuerit, fideliter hærent. Bibliotheca igitur manuali studioso litterarum debet in usu esse, ut ab

im-

immensa illa eruditionis mari in angustiorem aptioremque viribus suis recedere possit campum.

Constat autem bibl. manualis libris ejusmodi, qui a viris, litteris doctrinæque deditis, sedulo merentur consuli cum in legendo & interpretando, tum in rebus variis peruestigandis, deinde in scribendo & elaborando, denique in deliberandis rebus negotiisque & publicis & privatis; in summa, constat ea libris, quibus omnium scitu dignissimæ utilissimæque cuique res comprehenduntur. Manualis vero hujus bibl. partem facit *elementaris*, h. e. quæ elementa & principia, s. initia artium & scientiarum succincte & luculenter exposita complectitur, quo pertinent illa, quæ vocare solemus *compendia*. Sed bibliotheca elementaris s. encyclopædica magnas habet illa quidem utilitates, non tamen sufficit ad obtinenda & perfruenda omnia, quæ a viro prudenti tum ad ingenium ornandum, tum ad negotia tractanda, e re litteraria peti possunt; continet enim generalia tantum, quæ ad vitam & ad laborem scribendi non sat lucis videntur afferre.

Bibliothecam ejusmodi manualementalem & compendiosam magnæ ad studia esse utilitatis, exemplis multorum posse ostendere virorum, doctorum & clarorum, qui, juxta majorem, contrariiori aliqua & selecta usi sunt, quam semper ad manus habebant, assiduo evoluebant & in legendo, meditando, scribendo etiam atque etiam consulebant. Vt duos saltem nominem, usus tali

tali est Matth. Gesnerus, vir doctus & prudens; *) usus etiam Fridericus II. rex ille philosophus, qui præter regalem, Berolini asservatam, in villa sua regia **) compendiosam adornaverat, cujus Büschingius dedit Catalogum ***) qui docet, multa regem in delectu librorum cura & prudentia usum fuisse. — Vocabant olim talem librorum congeriem bibliothecam cubicularem sive mensalem ****) & viri illi doctissimi & polygraphi solebant oppositam mensæ suæ oram vallo maiorum munire voluminum, quæ in elaborando subinde confulerent. — Quid quod vel nomen librorum *n annuum* satis declarat, homines, litteris deditos, angustiorem scriptorum circulum usu necessarium duxisse? quo factum est, ut Lexica manualia, Historias manuales &c scriberent. Encyclopædici vero libri, qui seculo præsentis & superiore multi sunt compositi, quid aliud sunt, quam bibliotheca compendiosa, uno titulo collecta? — Ita enim fert hominum natura, ut nunc in latissimum aliquem agendi campum excurrat, nunc rursus in angustiis se contrahat spatium; nunc in aliquo rerum genere diu multumque molitur & fruatur ingentia, nunc vero modicis ea terminis definiat & quæ ad usum erant nimia, undique resecat & rescindat, ut suam in alia quadam rerum humanarum parte exferat vim

*) v. Isag.

**) Sans-foucy.

***) v. Charakter Fridr. II.

****) Kabinettsbibliothek, Tischbibliothek.

vim. — Nec vero quisquam mortalium tanto præditus ingenio, tantaque esse memoria videri debet, qui omnium majoris bibl. librorum contenta capere, quoque tempore simul omnia fideliter tenere, & in usus suos collocare possit.

Commoda vero & utilitates, quas bibl. manualis eruditus potest præbere, multa sunt & magna. Primum enim, ut nautæ pyxide illa utuntur magnetica, sic eruditi bibliotheca præsertim elementari uti possunt, ne in vasto illo disciplinarum & doctrinarum oceano de recta desleant via, quæ ad uberrimas & amoenissimas studiorum regiones queat eos deducere. Atque cum, longioris temporis spatio in una aliqua disciplina collocato, multa industria acrique labore amplio-rem ejus tibi paraveris eruditionem, consilii est, priora subinde recollere studia & breviter percurrere præcipua rerum, quas antea tractaveris, capita; alioquin metuendum est, ut discendo semper dediscas, et, dum nova sequeris, priora illa & forte potiora amittas. Ad hunc usum elementares quos dico libri accommodatissimi sunt, ut qui initia & primaria cujusque disciplinæ contineant argumenta.

Talis librorum elementarium collectio instar esse poterit repertorii, quod dicunt; h. e. loculamenta idonea præbet, in quibus omnia, quæ scitu digna five audieris five legeris, collocare & in usus futuros apte condere possis. Descriptio enim & partitio horum voluminum ita paullatim tibi fiet cognita, ut statim sine temporis & ope-

ra dispendio, idoneum invenire poteris locum, quo quamque rem memorabilem annotare, & si ita res fert, rursus depromere queas. Igitur & *excerpendi* rationem facillimam habebis. Nam familiaritate hisce cum libris contracta, in lectione varia & fusa semper quoque tempore videbis, & quæ vel transcribenda vel annotanda, & quæ, cum bibliothecæ inesse scias elementari, sunt prætermittenda.

Lectis probeque cognitis libris hisce fundamentalibus, singularum disciplinarum studium, cui operam majorem longioremque damus, facilius reddetur & jucundius. Omnes enim artes & disciplinæ ingenuæ mutuo nexu & cognatione quadam tenentur, ut altera alterius multis partibus egeat ope, & alia ex alia lucem & adjumenta fumat; quo fit, ut nisi omnium, certe plurimarum, cognoveris rationem & descriptionem, nisi saltem initia cæterarum rite perceperis, ne unius quidem naturam & usum penitus intelligere & perspicere possis. Igitur non bene sapiunt, qui elementari hoc rerum institutione nondum præmissa, sive ex libris sive vivis hausta doctoribus, studio se cuidam certo & primario addicunt, & omnibus interim sepositis & omissis, per multorum annorum spatium aliquam ex omnibus artem s. scientiam unice colant. Hi quamvis in uno aliquo rerum genere videantur doctissimi, at quoniam in cæteris cæcutiunt, cum ad usum vel vitæ vel litterarum ventum est, mirum in modum falluntur & se produnt inertes sæpe & infusos.

fullos. Elementaris igitur omnium bonarum artium institutio præmittatur studio illi longiori & continuato, quod homines docti, in virili quidem ætate, certæ cuidam scientiæ impendere solent, cum penitus eam volunt perdiscere, totam ejus perlustrare amplitudinem, difficultates in ea obvias vincere, nova quædam eruere, opus de ea præclarum conscribere, & aliis litterarum partibus lucem accendere. Perseveranti studio & aliquamdiu continuato opus est, si quis in aliqua disciplina magna quædam efficere & excellere vult: intermisso enim diu labore, ardor ille animi, sive enthusiasmus, quo ingenii vires intenduntur, exstingui solet.

Sed hæc *studendi methodus* & ratio *virorum* est, non *juvenum*. Horum quidem ætatis non est scribere libros & litteris affectare gloriam, sed discere! sed ea tractare studia, quæ profunt ad animum excolendum, ad ingenium acuendum, ad rerum domesticarum & civilium parandam prudentiam! Qui vero, commutato hoc ordine, litteratam gloriam prius sequuntur, quam culturam ingenii, pervertunt illi naturam, cujus rei gravissimas dabunt poenas. — Juvenis igitur brevi temporis spatio pluribus operam dare debet disciplinis; multa quoque simul discenda: singulis diebus & præceptorum & librorum vicibus utendum. Etenim nondum habet rerum usum & experientiam, quibus artis cujusque perfecta facultas innititur; neque vel scire potest, quæ sit ea doctrinæ pars, quam, ut ingenio suo aptissimam,

mam, primario olim studio sumat sibi excolen-
 dam; scholarum vero & academiarum ea ratio,
 id consilium est, ut plura simul doceantur, plu-
 rium eodem tempore scientiarum tradantur ini-
 tia & omnis delineatur quasi eruditionis descrip-
 tio; & satis est, si ex ipsa academica illa institu-
 tione, quamvis immensa videatur & pansophi-
 ca, primas tantum disciplinarum lineas, bonorum
 librorum notitiam, discendique regulas teneas
 & tanquam lucellum curriculi academici domum
 reportes. — In hac igitur ætate sedulo cogi-
 tandum est de adornanda & paranda bibliotheca
 manuali tanquam optimo ad studia humanitatis
 & prudentiæ adjumento & solido quasi funda-
 mento, cui doctrinæ ædificium posset superstrui
 commodum & elegans. Adolescens igitur, Mu-
 sis & Minervæ amicus, ex ephebis egressus, ele-
 mentis primæ ætatis probe imbutus, suum esse
 ducat, idque datum sibi credat quasi nego-
 tium, ut cognoscat, qui sit *optimus in quoque
 genere liber*. Hoc videat, hoc quarat, de hoc
 sciscitetur, de hoc rogat & vivos & mortuos; de
 hoc in evolvendis cogitet diariis, hoc spectet
 cum bibliothecas & tabernas visitat librarias, de-
 nique hoc nusquam non speculetur & exploret.
 Ex optimis enim cujusque disciplinæ libris exori-
 tur bibliotheca selecta, inæstimabilis bonarum
 rerum thesaurus, excellentissimum ad prudentiam
 domesticam & civilem instrumentum, & amoe-
 na eruditionis potiundæ via, qua qui utitur & rei
 familiari, et, quod adhuc est præciosius, tempori
 par-

parcitur. — Hujus igitur bibliothecæ selectæ partes acri intentoque studio dignas censeat juvenis; cæteros libros legat, manualibus studeat.

Restat ut de ratione & descriptione *) talis bibl. pauca adjiciam. — Cum enim omnium, quæ quidem cuique discenda sunt, quæque in legendo, meditando, scribendo usui esse possunt, hæc bibl. rite constituta comprehendat, apparet, nimis parvam & exilem esse eam non debere. Fuerunt, qui compendiosam bibl. duobus tribusve scriptoribus constituendam dicerent; **) sed hi aut parum recte de amplitudine rei literariæ judicaverunt, aut bibl. compendiosam confuderunt cum libris illis, qui doctis quibusdam viris singuli sunt in deliciis, ***) quos in sinu circumferre, nusquam non legere, & ceu intimos amicos, cæteris omnibus longe solent anteferre; sic usus esse Terentio dicitur Grotius. — Quod si nihilominus cogerer, tribus, non amplius, scriptoribus bibliothecam componere mihi compendiosam, Homero & Plutarcho adjicerem Geographiam Büfchingianam. Sed redeo ad propositum. Nimia quoque voluminum multitudo usus bibl. manualis impediretur; difficile enim esset, omnes omnium librorum partes ita animo complecti, ut quoque tempore videas, ubi quidque sit petendum, & quo loco reponendum s. annotandum; sed multo adhuc difficilior, libros elementares modico temporis spatio percurrere & quæ antea didiceris recollere, inque memoriam revocare, in quo non mediocri inest rei hujus utilitas. — Debet autem inclusa tenere volumina, quæ in dubiis rebus commo-

de

*) Plan.

**) v. Stollens Historie der Gelahrh. p. 53.

***) Lieblingschriftsteller.

de possunt evolvi & consuli; quem usum imprimis præbent libri lexicales. Omnes igitur res, quas vel ob ingentem earum numerum nulla fere memoria complectitur, (e. g. nomina omnium in terrarum orbe oppidorum;) vel quæ ita sunt subtiles & argutz, ut aciem sæpe mentis quasi fugiant; nec minus linguarum vocabula, artium mechanicarum termini, nomina eruditorum, tituli librorum, numeri chronologici, nomina animalium & plantarum — hæc igitur, & quæ sunt ejusmodi, ut oblata occasione habeamus quod peti possunt & reperiri, in delectu librorum manualium videndum est. — Cæterum compendiorum illorum, quibus ducibus præceptores suas habere solent scholas, quorumque ingens semper scatet vis, quænam in suam quisque debeat recipere bibliothecam, judicio cujusque facile permitto; in universon tamen non diffimulo de toto hoc librorum genere me non adeo magnifice sentire, & ista librorum sceleta contemnere, præsertim si iisdem de rebus reperio libros vivido illo more, & concinno copiosoque genere scribendi compositos, quo semper fere usi sunt Veteres.

Vt vero ad descriptionem bibliothecæ manualis propius accedamus, primo loco ponimus, optimos eam debere libros complecti earum omnium disciplinarum, quas vel discimus, vel discere nobis olim propositum est: quorum tres facio classes. Prima quidem est disciplinarum, quæ omnibus fere literatis sunt communes, ut lingua latina & patria, historia, &c. — altera earum, quæ ad munus singulorum ornandum valent, ut studia theologica, medica; — tertia vero pertinet ad studium aliquod primum, nostro ingenio maxime conveniens, quod in deliciis habemus, *) & in quo ad summum pervenire,

*) Lieblingsstudium.

re, laudemque nobis & veram gloriam parere decreverimus. Fieri enim potest, ut studium hoc, cui maxime favemus, vel toto genere differat a studio nostro practico, vel non nisi partem ejus faciat, ut cum doctor religionis publicus (f. ecclesiastes) Historiæ Naturali sedulo studet, aut in arte consolandi præcipuam curam ponit: quorum illud a munere ecclesiastico alienum, hoc vero tantum ejus pars est. Tres igitur classes sunt, quibus compendiosa constat bibliotheca, sed duplex in quaque inest librorum genus, unum elementare, alterum lexicale.**) Et secundæ quidem & tertiæ classis quales sint & quomodo dividantur libri, unicuique, qui opus habet, decidendum & despiciendum relinquo. Differunt enim utilia litterarum adjuncta pro munerum, quibus fungimur, & argumentorum, quæ meditando & scribendo tractamus, varietate. Sed quales primam efficere videantur, qualesve ad universalem spectent eruditionem, f. quarum disciplinarum libri bibliotheca hominis litteris culti & liberalis non facile potest carere, breviter indicabo. (Equidem hic non dico, qui ex omnibus singuli eligendi sunt, sed tantum quales; nunc quidem formam solam & loculamenta bibliothecæ manualis designo; librorum vero ipsorum nomina certumque delectum in aliud differo tempus)

Partes igitur & quasi membra corporis hujus, quod compendiosam vocamus bibliothecam, videntur ista: 1. Methodologia, f. liber, qui regulas de studiis recte instituendis continet. — 2. Encyclopædiæ universalis libellus, qualem Sulzerus scripsit pro sua ætate satis bonum. — 3. Notitia bonorum in quovis genere librorum, f. ab uno, f. a pluribus conscripta auctoribus. — 4. Lexicon manuale cujusque linguarum eruditarum, etiam patriæ,

**) Bücher zum Nachschlagen.

triæ, f. germanicæ; equidem Germanis scribo.
 — 5. Grammatica cujusque earundem linguarum.
 — 6. Institutio de stylo patrii sermonis parando.
 — 7. Auctores Græci tres quatuorve, sive in ipso-
 rum sermone, sive in patrium bene translati. —
 8. Auctores totidem Romani. — 9. Scriptores duo
 vel tres stylo prosaico inter Germanos insignes. —
 10. Poëta unus aut alter germanicus; addita antho-
 logia e poëtis Germanorum collecta. — 11. Poë-
 tarum & Gallorum & Italicorum & Anglorum
 unus. — 12. Ars poëtica. — 13. Ars rhetorica,
 — 14. Logica. — 15. Psychologia empirica. —
 16. Physiologiæ corporis humani breviarium. —
 17. Ars diætetica. — 18. Ethica, f. philosophia
 morum. — 19. Scriptorum unus & alter, qui mo-
 rum affectuumque naturam plena & vivida ratione
 expresserunt, hominemque, qualis qualis est, ob
 oculos posuerunt, ut Shakespeare, Montaigne, Ster-
 ne. — 20. Principia juris naturalis. — 21. Princi-
 pia politices. — 22. Pædagogia, f. de ratione edu-
 candi. — 23. De religione naturali. — 24. Physica
 experimentalis — 25. Elementa Matheseos, ut
 Arithmetices, Geometriæ, Mechanices, aliarum-
 que partium in vita civili utilium. — 26. Historia
 naturalis c. sig. — 27. Historia artium mechanica-
 rum & manualium, f. technologia. — 28. Geogra-
 phia mathematica cum coeli descriptione, f. Astro-
 nomia. — 29. Geographia physica. — 30. Geogra-
 phia civilis recentioris expositio paullo uberior.
 — 31. Atlas. — 32. Descriptio regnorum & re-
 rum publicarum nostræ aetatis, (Statistik.) —
 33. Hist. universalis breviarium — 34. Historia se-
 culi XVIII. — 35. Tabulae chronologicae. —
 36. Historia religionum. — 37. Historiæ eccle-
 siasticæ succincta narratio. — 38. Historiæ phi-
 losophiæ breviarium. — 39. Philosophia Histo-
 riarum, f. de historia generis humani. — 40. Bre-
 viarium Antiquitatum, Mythologiæ, Geogr. anti-
 quæ,

quae & artium veterum, studio Classicorum accommodatum. — 41. Biblia sacra, germanice. — 42. De veritate religionis christianae. — Quibus addantur Lexica nonnulla Realia, non adeo magnae molis, ut: 43. Lexicon artium elegantiorum. — 44. L. technologicum. — 45. L. historicum universale, quale est Baelianum & Buddaeanum. — 46. L. biographicum. — 47. L. biographicum Eruditorum. — 48. L. Geographicum. — 49. L. antiquitatum universale. — 50. L. mathematicum. — 51. L. physicum. — 52. Lexicon philosophicum. — 53. Libellus denique, qui otio inserviat, jocos & facetiis refertus.

43. Lexicon artium elegantiorum. —
 44. L. technologicum. —
 45. L. historicum universale, quale est Baelianum & Buddaeanum. —
 46. L. biographicum. —
 47. L. biographicum Eruditorum. —
 48. L. Geographicum. —
 49. L. antiquitatum universale. —
 50. L. mathematicum. —
 51. L. physicum. —
 52. Lexicon philosophicum. —
 53. Libellus denique, qui otio inserviat, jocos & facetiis refertus.

—————
 43. Lexicon artium elegantiorum. —
 44. L. technologicum. —
 45. L. historicum universale, quale est Baelianum & Buddaeanum. —
 46. L. biographicum. —
 47. L. biographicum Eruditorum. —
 48. L. Geographicum. —
 49. L. antiquitatum universale. —
 50. L. mathematicum. —
 51. L. physicum. —
 52. Lexicon philosophicum. —
 53. Libellus denique, qui otio inserviat, jocos & facetiis refertus.





AB 155 562

ULB Halle

3

005 301 36X



Sb.

12



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Light Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Dark Black

16

theca
udiofis insti-

men. 1799. d. 11.
dum indicaret,
n, Rector.

